
FERDINANDI VAL DESII HISPALENSIS, IN ACADEMIA complutensi medici Doctoris, De vtiliate Venæ sectionis in Variolis, ac alijs affectibus Puerorum.

Ad clarissimum, ac generosissimum Dominũ. D. Mattheum Vasquium Leccesem, Catholici Regis Philippi à cõsilijs & secretis, & apud supremum sanctæ Inquisitionis Senatum Secretarium, Archidiaconũ Carmonensem, ac Hispalensem Canonicum.



HISPALI 1583.

CLARISSIMO, AC GENEROSISSIMO Domino. D. Mattheo Vasquio Leccensi Catholici Regis Philippi à Consilijs, & Secretis, & apud supremũ sanctæ Inquisitionis Senatum Secretario, Archidiacono Carmonensi, ac Hispalensi Canonico.

PAPVLARVM EXITIALIS CONtagio, quæ Pueros apud nos proximo anno infestauit, occasioné obtulit libello cuidã anonymo, accuratã eius mali curãdi rationẽ, doctissimorũ medicorũ auctoritate atq; vsu receptã reprehẽdẽdi. Cui nos par pari retulimus altero libello Hispanicè itidẽ edito, quo Pueris graui illo morbo affectis, etiã infra decimũ quartũ ętatis annũ Venæ sectione subueniẽdũ probaui. Illud autẽ opusculũ vulgari sermone cõscriptũ priùs oportuit, vt tantorũ virorũ existimationẽ, qui nostras partes agũt, apud vulgus noui, ac nefarij infãticidij damnatã, apud idẽ etiã vulgus tueremur, atq; ab importuna calumnia liberaremus. In eorũ etiã gratiã, atq; aliorum, qui rei medicæ seriò student, latinam eiusdem argumenti disputationem inuulgare decreui, cum vt amicis obtemperarem, qui eam enixè efflagitabant, tum vt eam rem ex professo, et instituto nostro agerem. Quam etiam, vir clarissime, atq; ornatissime, priuato quodam iure in tuã clientelã,

ac fidē vēdicare potes, cui me, meaq; omnia iam olim dedicaui, atq; addixi. Nullum autem aut officij, aut operæ pretium maius ducam, quam si has nugas, quæ tua humanitas est, libēter suscipias, tuumq; Valdesium alijs etiam grauioribus officijs tibi inseruire permittas. Vale.

Tuus ex animo.

D. Fer. Val.

AN PVERIS INFRA DECIMVM quartum annum Variolis, ac alijs affectibus laborãtibus vtilis sit Venę sectio?

VT exactiùs dubitationem propositam definirem, necessariũ esse iudicaui, quęstionem illã imprimis excutere, quę multis ante annis per medicos nostrę ętatis doctissimos in communi est agitata. An scilicet, Pueris morbo aliquo acuto laborantibus Venę sectio conueniat? Et vt ab ipso Medicinę parente, atq; inuentore, initium sumam, Hippocr. Pueros in morbis acutis ab huiusmodi Venæ sectionis auxilio excludere videtur, cum inquit: In acutis morbis sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur, florueritq; ęgrotantis ętas, et virium adfuerit robur. Vbi cum tres ponat scopos conditionesue, ad mittendum sanguinem, nec in illis Pueri contineantur, cum ętate florentes à pueritia excedant, absq; dubio illos à Sãguinis missione arcet. Galenus Hippo. sequutus, millies etiã in Pueris Sãguinis missionẽ interdicit. Si quidem in Cõm. libri *Lib. 4. acutorum sect. 19*

Hippo. à me citati sic inquit: Neq; enim Puer, neq; senex sanguinis sustinet detractionem, etiam si morbus quo ipsi laborauerint, magnus fuerit. Et paulò post: At certe pueri, quãquam vitali facultate valeant, tamen neq; hi sanguinis sustinent detractionem. Promptè enim, eorum substantia, tum propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem euaporatur. Detractione igitur sanguinis non egent, qui insitam naturalemq; habent à temperaméto vacuationem. Ob eam causam scoporum sanguinis detrahendi numero, non satisfacere videntur morbi magnitudo, & virtutis robur. Meliusq; feceris, si & florentium ętatem adieceris. Nono lib. Meth.

Cap. 10. idem repetit. Ab hac, inquit, ęstimabis ętaté, Nam si puer sit, quę per dissectam venam fit, vt supra est monstratum, vacuationem nõ fecet. Verùm cùm pubertatem attigerint, iã Pueri misioné sanguinis tolerant. Eiusdẽ Meth. lib. 4. cap. 6. hoc ipsum astruit, inquiens. Ex quo patet, non hoc esse quod mittẽdum sanguinem indicet, sed magnitudinem morbi, ac virium robur, exceptis tamen à sermone pue-

Lib. 8. cap. 4. ris. Et rursus in eádem Methodo, ait: Ac si qui dei

dem vel puer,vel senex sit, sanguinem detrahere non licet.Inter has ętates,vbi robur ęgro non deest, secanda uena est, etiam si plenitudinis signa non adsint. Iterum in eâdem hoc Lib.11. idem multò latiùs.Ac si in puerum,inquit, incidat, qui quartum decimum annum hactenus non attigit, mitti illis sanguis non debebit, propterea quòd tãtillis, cum pręsertim calidi ac humidi sint, plurimum corporis substãtię quotidie defluat,ac digeratur. Ita quod ex incidenda vena moliendum nobis fuerat, ex curati corporis natura pręstatur. Hec sunt Gal.loca, & fortasis alia,quibus eum pueris Venę sectionem interdixisse apertè constat. Sed quid inde iam?Num sic vt planè iacet, tenendum est,ex Galeni decreto nunquam esse Pueris mittendum sanguinem? Minimè quidem.Imòverò vt liqueat, nonnulla priùs sunt examinanda,ac distinguenda. Atq; in primis scire licet, quid nomine Phlebotomiæ,vel Sãguinis missionis antiqui Græci intelligebant. In hoc enim vt puto, ferè tota cõsistit difficultas.Et quantum ex Gal.doctrina colligere possum,per Phlebotomiam,non quamcunq;sanguinis ex vena detractionem intelligebant,

sed eam quę semel omnino redundantiæ satis faceret. Vnde copiosissimis sanguinis vtebantur euacuationibus vsq; ad duas & tres libras. Quinimo Gal. ipse ad sex vsq; libras sanguinē detraxisse testatur Memini, inquit, quibusdā ad sex vsq; libras sanguinem detractū fuisse, ita vt febris protinus extingueretur, nec vlla sequeretur virium afflictio. Qua propter cùm apud Gręcos legis, in febribus, in pleuriticis doloribus, in angina, in hepatis inflammationibus, multisq; alijs acutis affectibus sanguinem esse mittendum, eam euacuationem intelligere debes, qua semel, et ex toto, tota redundantia deponatur. Hec veritas ex ijs, quę inferiùs dicemus pleniùs elucescet. Ad huius igitur Sanguinis missionis vsum primus omnium Hipp. tres illos scopos obseruandos memoriæ prodidit, scilicet morbi magnitudinē, virium robur, & ętatem Quos siue scopos, seu conditiones dixeris, nihil vetat. Hoc constat vel ex loco nuper citato: In acutis passionibus sanguinem detrahes, si vehemens morbus videatur &c. Itaq; et si morbi magnitudo exposceret, & virium adesset constantia, nisi pueritiam eger excederet, floreretq; ętate, minimè

li. de cur. ratio. per sang. mis. ca. 14

hoc Sanguinis missionis auxilio vtendũ erat. Primus ergo omnium Hipp.ad prędictę Venę sectionis vsum hos tantùm excogitauit scopos. Quorum primus, scilicet morbus ex natura sua auxiliũ indicat, reliqua duo cõsentiũt, vel prohibent. Nam virtus si subsit, consentit, sin deiecta est, prohibet. Ad eundemq; modũ ætas, si florida sit, consentit, sin puerilis, prohibet. Primas tamen inter hosce duos semper tenet ipsa virtus. Quantumcumq; ergo morbi vehemẽtia postularet, virtusq; robusta esset, tertio illo ętatis scopo deficiente, prę stantissimum hoc Sanguinis missionis auxiliũ haud quaquam eis in usu erat. Igitur Gal. tres istos Sanguinis missionis scopos apud Hipp. inueniens, libenter quidem illos excepit, atq; probauit. Nec probauit solùm, sed vt optimus seminariorum Hippocratis excultor, ac propagator, tertij scopi qui ab ętate desumitur, causam reddidit. Ob eam enim causam, inquit, Pueris Venę sectio non conuęnit, quia promptè eorum substantia, tum propter humiditatem, tum propter temperamenti caliditatem euaporatur, ac diffluit. Quare his tribus scopis initiò quidem Gal. cõtentus fuit, milliesq; eos

solùm

solùm ad mittẽdum sanguinem cum suo Hippocrate sufficere dixit, sed deinde seminariũ hoc propagare volens, post virtutem & ętatẽ alios cõsentiẽtes seu prohibẽtes scopos adinuenit, temperaturã scilicet aeris ambiẽtis, cõsuetudinẽ, habitũ corporis, & insuper præter hęc accidentia quędã, vt cruditatẽ morsumq; in ore vẽtriculi, ventris profluuiũ, neruorũ cũ febre distentionẽ, ęgrotãtis ad patiendũ facilitatẽ, vigiliã immodicã, aut dolorẽ. Quos qui dẽ omnes lõgè lateq; explicuit lib. 1. ad Glauconẽ Ca. 14. Et nos de his fusiùs in sequẽtibus differemus. Sed iã huiusmodi Sanguinis missionis modus, quo Grecorum illi antiquiores vtebãtur, multò iã ante tẽpore apud nos inoleuit. Quis enim est qui semel vniuersam corporis redundantiam nunc euacuare iubeat? Quis sex libras sãguinis, scisa vena, detrahet? Nullus quidẽ qui mentis sit cõpos. Ergo vtimur iam nũc modicis quibusdam Sanguinis missionibus, quę licet non semel totam deponant redundantiam, deponant tamen eas iterando bis, ter, quater, et sępius. Quare mittimus sanguinem ad vncias tres, vel quatuor, vel sex, horridum illud librarum põdus auer-

santes. His iam contéti sumus, nec infelicitet succedunt curationes. Tum ad parcam, modicamq; istam Venę sectioné, qua nos vtimur minimè sunt necessarij tot illi scopi, quos diximus. Imò verò duo tantùm sufficiunt, scilicet morbi magnitudo, & virium robur. Ad hanc, neq; ętatem, aeris temperaturam, consuetudinem, habitum corporis, aut aliquod accidentis genus considerare oportet. Aetate puerili modicè possumus Sanguinē detrahere, quauis aeris ambientis temperatura, quocunq; corporis habitu, quacunq; ęgrotantis consuetudine. Quin & pręsente aliquo accidentium prędictorum, ea interim vti licet. Sed quęrimus modò: vsus ne est Galenus priori illa tantū Sanguinis missione, qua semel integrè plenitudo euacuabatur, an verò hac etiam modica? Dicimus ꝙ illa quidem frequentiùs, sed et nostra hac etiam in Pueris, alijsq; ętatibus vsus est. Sed quoniā intelligo quāplurimos esse hoc tempore medicos, qui hoc ex Galeni libris, minimè deduci posse contendant, hęc attentè legant, et claram eius inuenient demostrationem Libro. 1. ad Glauco. de curatione febrium continuarum agens, huic generi febrium Cap. 13.

brium Sãguinis missionem ob morbi magni-
tudinem imperat, nisi vires aut ętas prohibue
rint. Sed huiusmodi auxiliũ cõuenire ait, vbi
febris ipsa sine accidentibus eueniat. Proinde
mox capite subsequẽte, vbi de curatione eius
dem cum accidentibus edisserit, aliam ei in-
stituit curationem. Nominat autem acciden-
tia scopos illos omnes, quos diximus. Quare
docet toto illo capite continuis febribus San-
guinis missionem cõuenire, nisi aliquis ex an
te dictis scopis eam prohibuerit. Tunc enim
minimè est Sanguis mittendus. Sed cùm hoc
ita asserit, de qua Sãguinis missione loquitur?
Num de illa magna, quę semel omnino satis-
faciebat plenitudini, an verò de hac modica,
et iterata, qua nos vtimur? Certè non de hac
modica illi sermo est, sed de integra atq; ath-
roa, vt ipsius verbo vtar. Hęc enim antiquis il-
lis medicis frequens erat. Hanc intelligit Gal.
cùm ad eius vsum tot illos consentientes sco-
pos necessarios scribit. Nam modicam quidẽ
istam, tantum abest, ut excluderet, vt pręsen-
tibus scopis illis prohibentibus, eam exercere
audeat. Hęc verba sic sunt scripta initiò ferè
huius capitis: Ob hęc igitur neq; in locis supra
modũ

modum calidis aut frigidis sanguinem mittere audemus, sed si regio ipsa et tẽporis status consentiunt, omnino abstinemus: cùm verò non cõsentiunt, euacuamus quidem, sed multò minus, q̃; si neutrum prohiberet. Duobus hîc prohibentibus scopis in vnum conspirantibus, omnino Sanguinis misionem denegat, vt si regio sit nimis calida, pariter et status cœli valde ęstuet. At vno tantùm cõcurrẽte Sanguinis misione se vsum fuisse testatur, non ea quidem integra, sed minori quantitate quàm si neutrum illorum vetaret. Quasi velit, integrè pro ratione plenitudinis euacuandũ esse, nisi aliquis ex ijs scopis ab huiusmodi auxilio dehortetur. Tunc enim non integrè, modicè tamen eo vti licet. Millies ergo repetit Sanguinis misionis auxilium neutiq̃; continuis febribus conuenire, vbi aliquis illorum scoporum, quos ibi accidentia nominauit, eas consequuntur. Semper tamẽ Sanguinis misionem illam integram intelligit, quã ipse interim appellat integrã, interim subitam ac multam, interim simul et ex toto, interim ex toto tantùm. Græcas voces omitto, quę maiorem habent energiam. Quasi clarè velit, scopos illos

pro-

prohibere quidē Venę sectionem integrā, quā vtebātur antiqui, sed minimè parcā. De scopo autē ętatis, de quo hîc pręcipuè disputatio est, hoc ipso capite sic scriptū habet: His et ętas an numerāda est, veluti accidens quodam, quod prohibēdi integram euacuationē vim habet. Neq; enim pueri, nec seniores hanc sine noxa tolerāt. Sed obijcies hîc, et si integrā in Pueris interdicat, parcā tamen non videtur expressis verbis admittere. Eadē ratio est ętatis, et aliorū scopotū. Vt enim ob nimis calidā regionē, aut cœli statū maximè ęstuantē, minùs se detrahere, dixit, quàm plenitudo postulat: sic ob puerilē etiā ętatem fieri debere intelligit. Quare ętas, sicut et alij scopi, tollit omnino Sāguinis missionem integrā, parcam tamen, atq; iteratam minimè prohibet. Sed audi iam, quid alibi, cōceptis etiam verbis, dicat: Proinde minùs detrahimus q̄; plenitudo cōmonet, quoad ętates quidem attinet, in Pueris: quoad corporis habitus, in candidis, et quibus mollis teneraq; est caro, quales Galli sunt: quoad tempus, sub cane, similiter etiā in regionibus et cōstitutionibus. Hęc ille. Nunc quia vidisti credes. Nono etiam libro Meth. med. prope finē

Lib. de sā gui. miss. cap. 14.

cōme-

cõmemorata ętatis puerilis spontanea effluxione, aut non esse euacuandos pueros, aut parum collegit, sicut et ob tempus et regionẽ calidã siccamq; fieri debere arbitratur. Ex quibus palam fit omnibus, Galenum nostrum si non integram et ex toto semel euacuantem, parcam tamẽ atq; imperfectam Sãguinis missionem in Pueris comprobasse, atq; exercuisse, tum vel maximè in ijs qui morbo aliquo acuto laborabant. Qua propter cùm millies apud eũ, cęterosq; antiquos Gręcos Pueris non esse imperandam Sanguinis misionem legimus, de illa integra loquutos fuisse credendũ est, quam nos hodie non à puerili ętate solùm relegamus, sed et ab ętate florentibus excludimus. Sed proinde parciorem illam, quam exposuimus, neutiquam exclusisse visi sunt. Imo eâdem in Pueris ac senibus vsos fuisse, pro indubitato habemus. Quòd si quis velit ad manum habere Galeni loca, quibus parca atq; iterata Sang. missione eum fuisse vsum apparet, legat decimum caput lib. 4. de Sanitate tuenda prope finem. Tum et duodecimum lib. de curãdi ratione per Sanguinis missionẽ. Quin et alia scio multa esse loca, quæ tamẽ hîc mihi non

non occurrunt. Huic etiam sententię Corne-
Celsus. lib. 2. cap 10. lius Celsus vetustissimus medicus, atq; Gale-
no antiquior apertè fauet, cum inquit: Anti-
qui primam & vltimã ętatem à Sanguinis mis
sione cauebant, similiter et grauidas. Sed vsus
posterior ostendit alias potiores obseruatio-
nes custodiendas fore. Nõ enim quę ętas, aut
quid in vtero geratur attendere conuenit, sed
quę vires. Vnde si imbecillus iuuenis, et nõ gra
uida mulier parum valet, malè sanguis emitti
tur. At firmus puer, robustus senex, et grauida
mulier valens tutò curantur. Hęc ille. Sed ne-
q; ex Arabũ familia desunt autores, licet om-
nes in mittẽdo sanguine timidissimi sint, qui
Auicẽna hanc sequantur opinionem. Siquidem Auicẽ
na Arabum sine controuersia primus, Fen. 1. 4
ca. 20. Sic inquit: Cauere debes à minutione in
ętate quę est minor quatuordecim annis quã
tum plus poteris, nisi in figura confisus fueris,
et soliditate musculorum, venarum amplitu-
dine, et earum repletione, oculorũ rubedine.
Hos namq; ex adolescentibus et senibus phle
botomare debes. Adolescentes tamen secun-
dum ordinem phlebotomandum, paulatim
prouehere debes cum pauca minutione. Vbi
per

per adoleſcentes non eos intelligit, qui poſt pubertatem ſequuntur, ſed qui in Alhadate, idest: ætate adolendi ſunt, quę ab ipſo ortu ad triginta ferè annos extenditur. Et diuiditur hęc apud ipſum Auicennam in ætatem Infantię, Pueritię, Altherarha, Agulamie quouſq; barbeſcat, & Alfethian quouſq; deſinat creſcere. Quare communiùs capitur apud illum vox adoleſcentes, quàm vulgò apud Gręcos & Latinos. Ex ijs ergo adoleſcentibus, quorum multę ſunt differentię, Pueros quidem plenitudine laborantes phlebotomare admonet cum pauca minutione. Qui locus ignoratione illius vocis, adoleſcentes, non tantùm autorem noſtrum, ſed & innumeros alios medicos cæcutire fecit. Raſis etiam vigeſimo continentis, etſi ſępius affirmauit in ętate quę eſt ante duodecimum annum nō eſſe mittendum ſanguinem, verùm paulò poſt mentem apperiens, ſubdit: Sed ſi eſt virtuoſus, et morbus exigit, extractio ſanguinis fiat. Vnde ſecundum virtutem ſequendum eſt in ea, non ſecundum ętatem. Et alibi addit: Paulatim adoleſcentes ſecundū ordinem ad phlebotomiam prouehere debes. Poſtremò Auerroes

[illegible]

Ordines vel differentiæ adoleſcentiū apud Aui. multa.

Raſis.

Raſis vt Auicenna eſt intelligēdꝰ.

Auerroes. colliget, cap. 13. roes non minùs cęteris barbaris in vena secanda timidus, licet in calidissima habitaret regione, summis laudibus Zoaré extulit, quòd trium annorum Puerũ phlebotomauit. Sed neq; testimonium omittam cuiusdam non infimę dignitatis Arabis, qui Rabi Moyses dicitur. *Rabi Moyses, Apho. 9.* Is enim duodecima suorum Aphorismorum particula, ijs omnibus comprehensis accidentibus, quæ nos superiùs ex Galeno attulimus, primo libro ad Glauco. cap. 13. ad finem Aphorismi parcam istam Sanguinis missionem comprobat ex Galeni mente, à quo aphorismum illum, vt & plerosq; alios accepisse testatur. Aphorismus sic habet: Status & accidentia in quibus non est proximandus ad phlebotomiam ęger, etiam si signa sanguinis demonstrentur, hæc sunt: Spasmus, angustia fortis, dolor fortis, tempus caloris fortis, tempus frigoris fortis, regio valdè calida, regio valdè frigida & sicca nimis, corpus capitis lenis, humidum & rarum, resolutionis facilis, grossities in corpore dominans, macies in corpore dominans, ętas puerilis, ętas senilis, corpus timidum & insuetum phlebotomiæ, corpus cuius os stomachi dolet. aut est debi-

le ex faſtidio aut punctura malorum humorum, & corpus diaria occupatum. Sed cum [illegible] egrotans eſt repletus repletione multa in aliquo prędictorum ſtatuum etiam ſi inſuetus ſit phlebotomiæ, extrahas ſibi modicum ſanguinis cum dubitatione & timore. Hęc ille. Vbi licet inter prohibentes Sanguinis miſſionem ſcopos puerilem ętatem primò connumerauit, ſtatim Galenum ſuum exponens, non de hac modica illum eſſe intelligendum ſcribit. Imò verò quocunq; illorum accidentium, ſeu ſtatuum vt ipſe dicit pręſente, ſi plenitudo magna ſit, vtilem eſſe affirmat. Quod tamen ipſe addidit, cum timore faciendum, non tollit eam. Et nos iā id intrepidè quotidie facimus in Pueris cū proſpero ſucceſſu. Quod ſanè experimētū, rationibus & teſtimonijs omiſsis, vel ſufficiens erat, vt ab incredibili iſto ſanguinis timore, quo nō in Pueris ſolùm, ſed & in iuuenibus ipſis quidā medici detinentur, explorata tāti auxilij vtilitate, longiſsimè diſcederent. Poſt hos accedat iam autoritas multorum noſtræ ætatis medicorum, qui eādem opinionem aſſeruerunt. Quorum primus Antonius Muſa Braſauolus, medicus Ferrarienſis hanc *Antonius Muſa.*

B 2

sis hanc habuit opinionem in com. lib. 4. acu torum Hippocratis, Sect. 10. vbi quęstionem ex professo agitans, sic eam his verbis definit: Vnde suspicatus sum Galenum in Pueris ante decimum quartũ annum prohibere Venę sectionem pleniorem. At non prohibuisse triũ vel quatuor vnciarum eductionem, vbi adesset vehemens morbus, qui Venę sectionem expeteret simul cum virium robore. Eodem modo Valeriola Galenum exponit, Enarratio num lib. 5. vbi adductis etiam multis ex Galeno testimonijs; quibus Sanguinis missio in Pueris ante decimum quartum annum reprobatur, ita inquit: Verum cum id ante eam ętatem prohibuit Galenus, vnum hoc tantùm spectasse videtur, ne ab immodica vacuatione mollis Puerorum substantia dissiparetur. Solebant enim tum temporis medici, quàm nunc copiosiùs sanguinem mittere, quam sanè copiosam vacuationem Pueri ferre non poterant. Ob id ego de ea sanè quę tum in vsu erat pleniore vacuatione intellexisse Galenum iure optimo arbitror, cùm Pueris ante decimum quartum annum secari venam prohibuit. Et Paulò post: At vero etsi pruden-

Valerio la. Enarr. 3.

tiùs factum ipse existimo, vt quoad fieri possit, à mittẽdo in Pueris sanguine abstineamus, tamẽ si & morbus grauis vrgeat, et Pueri paulò plenior habitus, benéq; temperata natura fuerit, terreri à Sanguinis missione minimè debemus, sed illam, si modo parca fiat, incunctãter obire, minimè veriti aut virium, aut teneræ substantiæ dissolutionem. Sequuntur & alia multa pro cõfirmatione ipsius opinionis, quę latiùs quisque leget. Fernelius Ambianus ac si cum Musa et Valeriola quæstionem contulisset, Galenum similiter interpretatur. lib. suę Therapeuticę .2. cap.11, vbi sic ait: At Galenus neq; ante annũ decimum quartũ, neq; post septuagesimũ ijs quas protuli causis adductus, venam pertundit. Quod profectò de plenioreilla veteribusq; consueta vacuatione audiẽdum: nã moderatã, quę tum viribus, tũ plenitudini aut par aut inferior sit, vtriq; pro eo ipso quãtulocunq; sunt prędití modo, facilè ferent. Et Paulo post: Hoc & ipsi plerunq; experimur, sexto aut quinto ętatis anno tres sanguinis quatuor ue vncias pleuritim, interioresq; inflãmationes finiuisse. Spõte naturæ tũ Pueris, tũ infantibus lactentibus, sanguis

Fernelius

Rationes sic addi dit.

interdũ abundè prodit è naribus, nulla corporis aut viriũ iactura. Suis viribus ijsq; validis prædita est Puerorũ ętas, cur igitur ad illarum proportioné vacuare nõ possumus, cùm přęsertim eusarcus est Puer, plenè ac liberaliter educatus, cui amplę venę benè cocto puroq; sanguine tument? Ad extremũ verò donemus viriũ robur lędi, vtrum magis optãdum fuerit, vel vt Puer seruata plenitudine succiq; copia intereat, vel vt ea imminuta, offensisq; quodammodo viribus à morbo vindicetur? Secãdę autem venę necessitas in Pleuritide interioribusq; inflãmationibus, quàm in cõtinuis febribus Puero maior existit. Quare sic tandem concludit: Nulla igitur est ętas quæ non aliquem vacuationis modum ferat. Eidem assentitur sententiæ Christophorus à Vega Doctor Complutensis lib. de Arte. med. Sect. 5. cap. 2. vbi hęc verba habentur: Porrò quemadmodum aut aer calidus, aut regio, aut habitus corporis rarus, quoniam facultatẽ dissoluunt, Sanguinem parciùs mittendum docent: ita ętas pueritię, quoniam per eam innata quędã euacuationis species adest, qua pars causę digeritur in ambientem aërem, facultas

Christophorus à Vega.

qu-

quoq; interim dissoluitur, minorem sanguinis quantitatem detrahendam esse docent, vt correpugnans, & ex accidenti repugnans. Idē comprobat Ferdinãdus Męna Doctor etiã insignis Cõplutensis, in cõm. libri de Sanguinis missione Galeni. cap. 6. vbi latissimè quęstionē disputat. Idē etiam cõfirmat Franciscus Vallesius Philippi Regis nostri medicus à cubiculo, & nostra ętate Medicinę lux, lib. 7. cõtro. cap. 2. vbi dicit, quòd quẽadmodũ in æstate nõ perpetuò abstinemus à Sãguinis missione: sic in ętate puerili. Et pleraq; alia addit circa scopos mittẽdi sanguinem, quę nostrã certissimè opinionē corroborant. Idē cõprobat Donatus Antonius ab Altomari, Italus nostrę ętatis sapiētissimus, lib. de Medēd. feb. par. 1. cap. 44. vbi ex professo eandē quęstionē pertractat, & vt nos decidit, sicut etiã Antonius Musa, & Ferdinãdus Mæna, Fernelius, & Valeriola. Eiusdē sentētię fuit Ioannes Argēterius lib. de cõsultãdi ratione. Vbi si venę apparuerint, mittēdũ esse sanguinē in Pueris docet, nihil de ętatis scopo solicitus. Quin potiùs nõ in acutis tantùm morbis hoc idē asserit Christophorus à Vega præcitato loco, sed & pręuisio

Ferdinãdus Mæna.

Franciscus Vallesius.

Donatus Antonius.

Argenterius.

nis gratia extra morbos debere fieri, testatur. Ibi eni de Sãguinis missione in Pueris loqués, sic ait: Præterea prçuisionis gratia ad eosdem morbos verno tépore secta vena valet, sicuti in doloribus et ictibus. Hac aũt neglecta, nõ paucos suffocari, quosdã mortuos febriũ mag nitudine fuisse vidimus. Sed quid moror? Pla cet iã tandẽ hanc cũ Hippo. ipso veritatem su ffulcire, qui lib 4. acutorũ Sect. 25. inquit: Sãguinem auferre, ex habitu & ętate plus aut minùs expendẽs. Quę verba clarè ostendunt, ętaté nõ minùs quàm habitũ quãtitaté Sãgui nis missionis pręfinire, sed auxiliũ nõ prohibe re. Non eni dubitat, quacũq; ætate sanguiné mitti posse, sed vult, aliã atq; aliã mensurã pro ratione ętatis extrahendã esse. In crescẽtibus & senibus minùs, in alijs auté plus. Quin imò nisi me Gal. autoritas deterreret, multò aliter locũ illũ Hipp. exponeré, 4. acutorum, Sect. 19. Quoniã per florẽtes ętate, non quidé eos, qui à decimo quarto anno excedunt, intelli- geré, sed qui post tertiũ annũ vitã agunt. Qua si velit à Sãguinis missione arcẽdos tãtùm eos, qui prędictũ ętatis tẽpus, plus minùs ue nõ dũ attigerunt. Nam & significationi eius verbi

,id est, floreo, haudquaquam hęc repugnat interpretatio. Quid enim post tertiũ aut quartum annum florere etiam ętate Pueros dicere vetat? Imò verò cùm iam ab infantia, primoq; illo ętatis principio excedun', meritò quidem florentes nominare possumus. In quam etiam expositionem Franciscum Valeriolam ductum esse video, cùm in enarratione sua sic scribit: Si enim in acutis morbis Sanguinem mittere Hippocrates iubet, vbi æger ętate floret, et viribus abundat: cum isthæc ipsa pueris habitioribus insint, cur non si morbo acuto aliquo tenentur, vti Pleuritide, Angina, Peripneumonia, Ardente febre, Sanguinem parcè mittemus? Hactenus ex sententia Gręcorum, Latinorum, Arabumq;, et decreto pręstantiorum nostrę ętatis medicorum abũdè probauimus, Pueris, saltem acuto morbo laborantibus, Sanguinis missionem conuenire, non quidem integram illam, atq; athroan, qua antiquissimi medici vsi sunt, sed parcam & modicam, qua nos vtimur, quamq; per partes iterando: redundantia deponitur.

His sic expositis, prodeat iam in medium

autor ille quisquis est, illius anonymę tractatiunculę, quę nuper inuulgata est, de Variolarũ ac Morbillorũ curatione. Hęc enim omnia firmißima mihi fore munimenta arbitror ad hoc certamen, quod cũ eo nunc amico animo inire volumus. Quęrit ille primùm quẽ autorem sequuti sumus, cùm Pueris anno superiore in illa Variolarum, Morbillorumq; sęuissima Epidemia Sanguinem detrahere iussimus. Nos enim inter reos etiam sumus. Cuius verba hęc sunt: Pregunto a todos los que an mandado sangrar, si an hallado en quanto está escrito en Medicina algun autor que aya puesto en duda esto, siendo comun opinion como luego veremus, que en Viruelas se deuen jassar los muchachos, y no sangrarse, que cierto bastaua para confussion de lo hecho, y enmienda en lo porvenir. Et alibi: Porque vean los que an sangrado a todos contra lo aduertido por los sabios en el arte, que autores son los que siguen para hazer lo. Primùm hîc consideret lector qua grauitate nobiscum agat hic autor? Qua seueritate nos reprehendat? Quasi medici omnes eius simus imperio subditi. Dispeream, nisi

mitiùs

mitiùs nos increpent sacri in suggestis concionatores, Patresq; illi, quibus scelera in ipsum Deum comissa detegimus. Imperat ergo vt autores auxilij huius proferamus: cum à nullo vnquam controuersum hucusq; sit, num in Puerorum Variolis Sanguinis missio conueniat? Imò verò communis sit medicorum omnium opinio, solis esse in his scarificationibus vtendum, & Venę sectione nunquam. Sed illos iam audiat. Sequuti sumus non barbarum illum Haliabatem, Machumetanis dogmatibus magnum, quam minimum tamen in Medicina, vel rudem atq; indigestum Alsaharabium, quos ipse tanquam principes factionis suę sequutus est, neq; ex recentioribus Buyrum quędam, Kufnerũ, Austrum, Gatinarium, & alios quorum quidam incogniti sunt, quidam minoris autoritatis videntur esse, quàm vt eorum testimonijs stare debeamus. Imò verò sequuti sumus magnum illum Hippocratem, Galenum, Cornelium Celsum, Paulum: & ex familia Arabum primos, Rasium, Auicennam, Auerroen: & ex recentioribus Antonium Musam, medicũ nostræ ætatis apud Ferrari. præstantis- *Dicit autor, e gra Haliabat*

ſtantiſsimum, Chriſtophorum à Vega, Ferdinandum Męna, Franciſcum Valleſsium, primarios Complutenſis Academiæ profeſſores, regioſq; medicos, Donatum Antonium ab Altomari, inſignem virum, atq; in Galeno verſatiſsimum, Argenterium, magno ingenij acumine pręditum Italum, Fernelium & Valeriolam, deniq; omnes illos, qui Sanguinis miſſionem in Pueris, acuto ſaltem morbo laborãtibus, aſſeruerunt. Niſi aliqui fortè ex ijs ſint, qui ſuorum dogmatum obliti, nunc vnius opinionis, nunc alterius autores fiunt, palinodiamq; recantare minimè attendunt. Sed hos non moror, hoc mihi certũ eſt, Medicinę principes, Galenum, Paulum, ac Cornelium Celſum Pueris ante decimum quartum annũ Venæ ſectionem minimè interdixiſſe. Quid aliorum comprobatione ad hanc rem opus eſt? Hos ſequuti ſumus, ſi errauimus, horum culpa errauimus, qui adeò clarè nos docuerunt, debere Pueris per morbos Sãguinem mitti, ſi non plenè: modicè tamen, vt ętatis ratio poſtulat. Subridebit iam ſcio opuſculi autor, quod credam definitum iam eſſe huiuſmodi dubium ſub illa communi quęſtione, quę de

ſecanda

ſecanda vena in Pueris ante decimum quartum annum multò iam ante tempore agitata eſt. Nam cum ipſe hâc primùm tenuiter iuditio meo excuteret, nec ſine inſulſis, ac depravatis autorum quos citat expoſitionibus, ſic inquit: Todo lo dicho es hablando en otras enfermedades grandes, en que los hombres doctos y de buena eſtimacion peſan la neceſſidad del remedio, con las coſas que lo eſtorvan. Et alibi: Y pues ſomos los primeros que en Medicina movemos eſta queſtiõ, veamos dende que los hombres eſcriuieron cura de Viruelas haſta oy, qual deſtos dos remedios vſaron cõ muchachos? Priori dictione ait, quę de mittẽdo ſanguine in Pueris, cõmuni propoſita quęſtione, definiuit, intelligenda eſſe in magnis alijs ęgritudinibus, & non in Variolis. Clarè quidem innuens, longè aliud eſſe quęrere, num Pueris acuto morbo laborantibus Sãguinis miſsio cõueniat: quàm ſi quæratur, an eiſdem, cũ Variolis ipſi afficiuntur, Sãguinis miſsio eadem cõueniens ſit? Quid multis? Dictione altera nouã quęſtionem medicam primum omnium ſe agitare dicit. Poſtremũ quidem hoc noua quędam indagare cupientis homi-

hominis est, parumq; ingenijs antiquiorum cõfidentis: primum verò planè est falsissimũ, atq; in medicina absurdum. Dubitatio enim hæc communi illa quęstione de mittẽdo sanguine in Pueris deciditur. Neq; hîc planè est noua aliqua quęstio. Perinde enim est, ac si quęras, an homo sit mortalis, cũ antea quęsitum sit, An animal sit mortale? Quòd si definimus, omne animal esse mortale, hominem etiã mortalem esse definitum manet. Quod enim communius est, particulare sub se positum necessariò comprehendet. Igitur si communi illa quęstione definitum est, ex Galeni sententia modicè, & pro ratione ętatis mitti Pueris sanguinem debere, saltem acuto morbo laborantibus, quęrimus & nos ab eo, quid quominùs idẽ fiat in Variolis, illi obstat? Nũ Variolarũ affectio morbus nõ est, & verè acutus, scilicet acuta febris ac perniciosa, quę & causam habet, scilicet virulentam sanguinis redundantiam, vnde fortè Hispanica vox indita, & symptoma graue, quod est in exeunte mutato positum, nempe cutis illã efflorescentiã, cur non est pueris sanguis mittendus, si ex Gal. placito & aliorũ, vt iã satis probatũ est, mo

eſt, modicè illis ſecare venam per acutos mor bos expedit? Quę diſpar ratio eſt? Hic febris acuta & vehemens morbus ipſe eſt: cauſa eius virulenti, efferueſcentisq; ſanguinis redundantia. Iam cùm febris ſimplex affectus eſt, vnicam & ſimplicem indicationem habet, nempe illam quæ à morbo ſumitur, quę quidem contrarietaté per frigida tantùm perſcribit. Cùm verò non ſimplex, ſed adhuc à cauſa pendens, nō illam tantùm quę à febre, ſed & eam, quę à cauſa ſumitur, indicationem habet, euacuationem poſtulans. Tunc enim curatio, vt in Meth. med. Galenus docet, non ſimplex eſt, ſed Prophylacticen habet admiſtam. Quæ quidem nihil aliud eſt, quám euacuatio cauſę morbum creantis, per Sanguinis miſsionem quidem, ſi plethora ſit, per expurgationem verò ſi infeſtet cacochymia, aut per vtrumq; ſi plethora cacochymię coniungatur, Sanguinis miſsione antecedente. Hác curationis methodum in omnibus febribus à cauſa pendentibus Gal. tradidit, quę ratio ſit, nō video, quòd in febre hac, qua cutis exāthematibus effloreſcit in Pueris nunc præuerti debeat, ſi modò iā illud admittat, quod

proba

probauimus, Pueris scilicet morbo saltē acuto laborantibus si non integrā, parcam tamen ac moderatam Venę sectionem cōuenire. An putat is, efflorescētias illas ipsum esse morbū? Errat planè, si hoc credit, tātùm enim habent rationem symptomatis, sicut in pestilente febre superuenientes maculę. Sed interim morbi proprijs nominibus carentes, symptomatū appellationes vsurpant, vt clarè quidem Galenus docet. 2. Methodi. cap. 2. vbi de diuersitate nominum, quæ autores ęgritudinibus imposuerunt, agens: Subinde, inquit, à læsa particula sunt indita, vt Pleuritis, Peripneumonia, Ischias, Podagra. Subinde ab ipso symptomate, vt Tenesmus, Spasmus, Tremor, Paralysis, Dyspnœa. Quid ergo timet is in hac affectione huiusmodi auxilium, cum febris à sanguinis redundantia pendens ipse morbus sit, & non exanthemata? Dicat prętereà, cur post febriū tractationem, de curādis Variolis sermonē instituunt autores? Est ne alia causa, quàm quòd de illis tractatio ad febres etiam pertineat, quod etiam censendum est cùm de morbo pulticulari agunt? Sed veniamus iā ad fundamenta quibus noster autor innitens, illi ad

Autoris fūdamēta.

hęterc

hęrere opinioni voluit. Ob eam causam huiusmodi venę sectionis auxilium in Puerorũ Variolis neutiquam conuenire astruit, quoniam in principio, hoc est, antequàm appareant, naturam, cuius semper ductum medicus sequi debet, contrario modo operãdo impedit. Siquidem quod tunc ea ad cutem trudere conatur, Sãguinis missio reuocat. In alio verò tẽpore, hoc est, cùm apparere incipiunt, pręter hoc quòd motum illum naturę impedit, morbificam causam, quam cutis iam excipit, ad interiora retrudit. Vnde is veluti plebẽ crudelitatis nostrę atq; inscitię admonens, sic ait: Guarden se de sangrarse en este mal, porque boluerá à meter en las venas lo que ellas van expeliendo al cuero. De lo qual se seguira a buen librar, salirle al muchacho muchas mas Viruelas, o no poder la naturaleza sufrir la contradiction q̃ el medico haze, y dar cõ el en la sepultura. Quapropter sic ipse quęstionẽ decernit. In principio, hoc est, ante eruptionem, ne huiusmodi impedimentum naturæ moliamur, haudquaquam est sanguis mittendus, sed scarificationibus dumtaxat vti expedit. Vnde sic ipse ait: Hasta aqui emos proua

dó que la manera de sacar sangre al Mucha-cho, q̃ le an de salir Viruelas, deue ser jassãdo le, y no por sangria. Ceterũ in alio tempore, hoc est, post eruptionẽ, ob dictas causas non sic omnino iudicat, sed scarificationes Sanguinis missioni quàm maximè præfert. Admittit ergo hanc, sed illas & vtilitate, & securitate illi anteponit. Quare sic inquit: Y assi por esto, como porque imitemos a naturaleza, y asseguremos las partes interiores, y que no buelua a meterse adentro, lo que vna vez salio fuera delas venas mayores, es sin cõparaciõ el remedio dela jassa en el Muchacho en el caso q̃ tratamos de mayor vtilidad cõ mayor seguridad q̃ la Sãgria. Itaq; ante eruptionem, nequaquã Pueris Sanguinẽ mitti vult, post illã verò, etsi Venæ sectio conueniens esse posit, scarificationibus tamẽ, vt præcellentiori auxilio vti imperat. Sed ante quàm de veritate, ac reuocatione eiusmodi in nos prolatę sentẽtiæ differamus, ad fundamẽta itetũ opinionis suę nos cõuertamus. Nec possum illi primùm nõ grauiter succẽsere, quod de ijs, cũ ea quidẽ ad eius dogma suadendũ adeò essent necessaria, nihil disputauerit, neq; penitus verbũ protu-

lerit.Imò verò illa tāquā Medicinę inuẽtor,vel luti quędā plusq̃; demõſtrata principia, certiſſima,atq; euidẽtia nobis ſubiecerit,vel eò ſolū quòd à ſe fuiſſent prolata. Querimus ergo ſic: An in curatione Variolarū Sāguinis miſsio ad interiora reuocet, ductūq; naturæ impediat?

ANſā dedit huic quæſtioni Auicenna, quo uiā dixit capi. ſuperiùs citato: Sed quādo egrediuntur Variolæ, non oportet tunc vt ad miniſtretur Phlebotomia. Querentes igitur expoſitores eius cauſam pręcepti huius,in huiuſmodi ad interna reuocationē inciderunt. Inter quos primus omnium Iacobus à Partibus ſuper hunc Auicennę locum ſic inquit: *Iacobus a Partibus.* Phlebotomia in Variolis non eſt adminiſtranda,quādo ipſę prodeunt ab interioribus ad exteriora,& iā apparere foras incipiunt. Quia retraheret corruptum ſanguinem ad interiora, quem natura rectè & decenter operans, extrà pellit. Nicolus Florentinus tractatu de febribus, agens de Variolis, ſic inquit: *Nicolus.* Phlebotomia eſt mala, cùm apparent Variolę, propterea quòd conuertit & repellit, ſcilicet ad interiora illud quod procedit, ſcilicet ad exteriora, & ſic operatur ad oppoſitū motus naturę

 per in-

Philonius per inconuenientia loca. Valescus de Taranta, alio nomine Philonius dictus, inquit: Propterea quòd Phlebotomia retrahat illud quod exterius expellitur ad intra, ideo post tres dies *Mattheus a Gradi.* incœptionis dimittenda. Mattheus à Gradi inquit: Cùm igitur apparent, nullo modo phlebotometur, nec cucurbitulæ applicentur, nã *Gordonius* phlebotomia traheret ad intra. Idem Gordonius, & innumeri alij huius Barbarorum ordinis, quos longum esset recensere. Sed credo omnes primum sequuti sunt assertorem, non aliter quàm magnus quidam ouium grex, qui primam sequitur, cui appensum est tintinabulum. Cęterum nostris temporibus, quibus doctrina Arabum vnà cũ enarratoribus eius explossa est, Gręcorum autem veluti ab orco, non sine magno humani generis beneficio est reuocata, opinio hæc cũ innumeris alijs, quas Barbari illi homines excogitarunt, per sapientissimos nostræ ętatis medicos confutata est. Illá refellit in primis Franciscus Vallesius, qui *Vallesius* cõmentario secundę aph. Sect. 15. incredibili ingenij acumine sic scribit: Errãt quoq; vulgares medici, qui cùm exanthemata cœperunt erumpere, à missione Sanguinis suadent abstinere,

tinere, etsi excrementa multitudinē aut cacochymiā indicent. Quasi verò semper excernātur decretoriè, aut quasi decretoriè & perfectè. Quòd si cum cœperunt apparere exāthemata, nō euacuant, ne motū impediāt, quem cœpit natura, cur euacuabant paulò priùs, & si exanthemata velle erumpere, multis signis cognouissent? Quasi verò minùs cauendū sit, ne impediamus motum, quem natura parat, quàm quē iā est exorsa? Itaq; omissis horum perditissimis sentētijs, agendū est vt Hipocrates hoc loco suadet. Hæc ille. Quē locum pro se adducit noster autor, nescio qua adhibita inintelligibili expositione, cum manifestè ingeniosus vir istud suum dogma breui quidem sermone reijciat, rationemq; eius, à Barbaris priùs excogitatā irrideat. Nec minùs illā curā di rationē refutet eorū, qui ante eruptionem sanguinē mittebant intrepidè, post eruptionē verò reformidabant, cū si vera esset illorū ratio, ante, & post eruptionē huiusmodi auxilio minimè vtendum esset. Siquidē vtroq; tēpore contrarius ille motus, si sic esset, motū ipsius naturę ex æquo impediret. Sed hic autores omnes, etsi sibi clarè aduersentur, in suā

 opinio-

opinionẽ trahere conatur, adeò illi fortissimè adhęsit. Addidit verò leuem quandã cómendatiunculã, qua minimè egebat magnus ille vir, fortè vt blãdè suã illã ferret expositionẽ. Sed quanquam hæc solùm tãti viri autoritas ad reprobationem huius dogmatis sufficiens erat, alios tamen afferam autores, quò hęc in posterum tam deprauata opinio penitus sepulta iaceat. Ferdinandus Męna eandem refellit lib. de Med. febribus, cap. 53. vbi multis enumeratis exanthematum generibus, quæ in febribus superuenire solent, vt pote carnis extuberationibus, Variolis & Morbillis, vibicibus Hispanicè róchas, pulticularibus maculis, sudaminibus Hispanicè sarpollido, vesicis scabiosisq; pustulis, nihil hunc naturę cõtrarium motum veritus, vel à cute ad interiores partes retrocessum formidans, pro curatione febris, cuius hęc symptomata sunt, Sanguinis missionem imperat. Quin imò commune quoddam tradit pręceptum, inquiens: Non prohibet Sanguinis missionem, aut aliã quamuis vacuationẽ exitus pustularũ, quãdo in corpore adest copia. Cutem pręterea per quam constat excretionem suam cœpisse iu-

Mena.

uandam ait, euacuato ante corpore, aut Sanguinis missione, aut purgatione mitiori. Donatus Antonius ab Altomari de febribus pestilentibus cũ efflorescentijs agens, lib. de Med. febribus cap. 9, eandem reijcit opinionem, Neapolitanosq; medicos reprehendit, quòd ob eorum imperitiam, putantes à Venę sectione naturę motum impediri, eam in ijs febribus omnino prohibent. Et propterea, inquit, ęgros hi veluti gladio quodã iugulant. Et paulò post addit: Nec propterea natura impedietur, sed citiùs ac promptiùs aggressam iam crisin perficiet à multa humorum copia exonerata, ob quam priùs grauata, inceptam crisin perficere non poterat. Quę licet de pulticulari morbo dicta sint, nihil refert, siquidem in omnibus cutis efflorescentijs hęc omnino militat ratio. Alfonsus item Lupeius Cureleanus qui librum de Arte curatiua apprime vtilē scripsit, capite proprio de Variolis, quas ad Elephantiam refert, sententiam illam refutat, his verbis: Si incipiente Elephantia, licet inter initia venam secare, non absurdum censerem venam secare in viro plethorico cui incipiunt pullulare exanthemata, Donatus. Lupeius.

quando scilicet extruduntur segniter, & non pro multitudinis ratione. Quoniam si multa est plenitudo, non timor est, quòd venę internæ humores ad cutem transmissos reuo-
Mercato cabunt. Lodouicus Mercatus, primarius in Vallesoletana Academia Medicinę professor, lib. de malignarum febrium curatione, de huiusmodi retrocessu non minùs latè, quàm acutè disputauit. Siquidē pulchr as in cōtrariū rationes excogitauit, & tacitis contrariorum obiectionibus responsiones inuenit. Verba eius in medium afferam, quò res certior, ac dilucidior fiat. Iuxta primā dubitationē, inquit, non desunt qui refractorio & peruicaci animo nitantur defendere, maculis apparētibus, non licere ampliùs sanguinē detrahere, vena scissa, etiam si plenitudo subsit, ne retrocessus fiat materię illius venenosę ad interna viscera et cor, credētes semper quo natura vergit eò esse ducendum. Sed proposita opinione, sic eam refellit: Tantum abest vt retrocessus fiat macularum, vena scissa, quod nullo auxilio promptiùs neq; securiùs possent plures ad cutem trahi, quàm deposita, quę naturam grauat, plenitudine. Nam deinceps, vt apud Galenum

lenũ fertur, potentior euadit supra residuum. Ratio in promptu est: Nā si huiusmodi expulsio naturæ est actio, quò quantitas fuerit minor, & natura robustior, eò feliciùs excernet. Quò fit, vt id quod irritata præ copia non valuit pellere, deonerata promptissimè excernat. Retrocessus nāq; tātùm fiet, interioribus partibus humore cōueniente destitutis, & depauperatis. Sed plenitudine deposita, adhuc sufficiens quantitas superent, ita vt vasa neq; appetitu, neq; indigētia quod semel tāquam inutile transmisserunt, ampliùs trahere conētur. Preterquam quòd plus mali efficiet plenitudo existens quàm retrocessus macularum, nulla existente in corpore plenitudine. Ratio in promptu est: Quia maior venenositas subijcietur, plenitudine existente, quàm ea erit, quę cum maculis retrocedet. Cōcludit tādē institutum vir ille doctus tribus propositis validissimis rationibus, quibus manifestè probat, apparentibus maculis, si plenitudo subsit, sanguinem esse mittendũ, quas apud eum legere quisq; poterit. Sed ne adhuc proteruiēs dicas, de maculis hęc quę in maligna febre apparent, esse tantùm dicta, cum clarè etiam Va

 riolis

riolis & morbillis, cęterisq; efflorescentijs ac cōmodari queant, imò verò par in omnibus ratio sit: audi iam quid ipse autor de huiusmo di in eisdem Variolis retrocessu dicat, lib. qué inscripsit, de Indicatione præsidiorum, cap. 4. In cutaneis quidem affectibus, plures medici pertimescunt, ipsis iam apparentibus ex venis Sanguinem mittere, veluti in Variolis, scabie, & maculis, quas in febribus malignis Hispani Tabardillo appellant. Existimantes à membro illo ignobiliori ad principalia trahi humores sanguine misso ex venis. Fit itaq; vt solùm scarificationibus vtantur, non sine magno laborantium dispendio. In qua quidem re expendere oportet, quòd si adhuc apparentibus maculis venę fuerint humore
Hæc nota noxio refectę, eas pręstat aperire, & per latas vias subitò humorem educere, ac protinus plenitudinem deponere, antequam natura per occultas vias sese frustrà exonerare tentet, grauissimis syptomatis concitatis, ac im prospero morbi successu. Hęc ille. Arcula-
Arculanus. nus super Auicennam capite de Variolis, sic inquit: Nec propter hanc phlebotomiam, timendum est materiam conuerti interius,

& crisin

& crisin impediri; imò potiùs virtus alleuiata, erit potentior ad expellendum residuum. Quamplurimos alios recentes autores in huiusmodi Barbarorum opinionem adducere possem, nisi nostram in infinitum ituram enarrationem pertimescerem. Sed præstantiores adduxisse, satis sit. Nec scriptores solùm huic refragantur opinioni, sed vt Lupeius ait, maior pars medicorum, qui medicinam factitant, religiosum habent, exanthematibus apparentibus sanguinem mittere. Ceterum omissis iam recentiorum testimonijs, horum etiam dogma apertissimè Galenus reprobat sexto Epidemiôn, commentario 30. vbi nihil ob retrocessionem istam Sanguinis missionem remoratur, succis ad cutem vergentibus, atq; adeò pustulas excitantibus. Galeni verba hęc sunt: Tantùm illud nouisse satis sit, succos ad cutem vergentes per eam esse euacuandos. Nam iterum ad interna corporis reuulsio ipsis valdè longinqua est, vt per ventrem aut vomitum euacuentur. Sed forsam me dicere putabis nunquam purgatione per ventrem in talibus vtendum esse. Ego verò non id

Maior pars medicorũ autoris opinionem damnat.

Galenus.

non id dico. Nam in libris de Arte curatiua in quibus corporibus permulta humoris copia est, ijs vtiles esse purgationes didicisti. Priusquàm enim redundantem materiam aut Venæ sectione, aut purgatione quis eduxerit, si calidis fomentis vtens, ipsam dissoluere conetur, plus attrahet, quàm per cutẽ euacuabit. Quibus verbis in Pustularum eruptionibus, redundantia humorum existente, vt planè nos intelligimus, nõ tantùm vtilem, sed & omnino necessariam Venę sectionem asserit. Nec reformidat humoris illam ad interna retrocessionem, quòd ea quidem per huiusmodi Venæ sectionis auxilium nunquam fiat. Et in commentario Aphorismi 15. secundæ sectionis idem Galenus in tuberculis quę in corpore nascuntur, vbi morbosa fuerit dispositio, infestaueritq; cacochymia, expurgatione vtendum esse ait, nec nutriendum solùm. Quod neutiquam sic assereret, si in magna prauorum succorum redundantia retrocessum humoris ad interiora fieri, pro certo haberet, aut si fit, admodum perniciosum illum putaret. Est autem quantum ad retractionem attinet, expur-

expurgationis, Sanguinis misſionisq; eadem ratio. Sed obijcient nobis contrarię opinionis aſſertores quendã Galeni locum lib. 4. de Sanitate tuenda cap. 10. vbi de phlegmonoſa laſſitudine loquens, ad finem capitis ſic inquit: Quoniam igitur in hac, quę veluti phlegmone fatigat laſsitudine, vis calidi ſanguinis congeſta in corporis mole eſt, venę autem ſectio ſuccos è vaſis emittit, vtile eſt, poſt priorem detractionem tantiſper intermittere, dum aliquid eorum, qui in corpore ſunt humores, remigret ad venas. Hæc Gal. Sed dicimus: minimè nos inficiari, ſanguinem, qui per corpus diffuſus eſt extra venas ad cutem etiam vſq;, ipſis iam vacuis atq; exinanitis Sãguinis miſsione, iterum poſſe in eaſdem recurrere, illis quidem exugentibus, atq; attrahẽtibus ſuccos ſibi deficientes: negamus tamẽ in caſu noſtro id fieri. Quoniam exiſtente plenitudine, in qua ſemper auxilium hoc conuenire aſſerimus, & non aliter, licet Sanguinis miſsione redundantia deponatur, adhuc tamen reliqua erit ſufficiens quantitas, ita vt vaſa neq; appetitu, neq; indigentia iterum trahere attentẽt, quod tanquam noxium atq; inutile ſemel expulle

pulerunt. Quod Lupeius & Lodouicus Mercatus pulchrè quidē annotarunt. vel dicēdū: Ob incōparabilē illius euacuationis vtilitatē retractionē illā, incertā tamen, ferendā esse. Illa enim meliùs trāspirat corpus, putredinis causa intercipitur, leuatur natura, & quicquid vitij reliquū est, celeriùs in superficiem corporis repurgatur. Aliòquin periculum est, ne ex magna putredine ardentissima febris sequatur, & natura oppressa multitudine, nihil ampliùs in superficiem deponat. Imò verò tūc per imbecillitatē naturę, quę nimiū oppressa est, potiùs decidet, recurretq; intrò, quod ea primò ad cutē protrudere est aggressa. Paulū Aeginetā etiā obtrudūt, qui lib. 4. de Elephanto. cap. 1. eādē retrocessionē asserere videtur, cum inquit: Cęterum in his qui à malo victi sunt, neq; vena secetur, neq; veratrum detur. Neq; enim trāslatio à cute ad profunda cōtingit, neq; īminutio materię ex his ampliùs est. Quo sermone manifestè retrocessio ista cōprobatur. Siquidē in inueterata Elephan. Sanguinis missionem eo reprobat, quoniā nec imminuitur materia, nec trāsferri ad profundū potest. Ergo si antiqua nō sit, sed in principio, cō-

ueniet quidẽ, vt ipse autor attestatur, quia materia tũc è contrario imminui poterit ad profundũ vergens. Sed huic Pauli testimonio respõsio eadẽ vt superiùs accõmodãda erit, scilicet quòd in plethorico Puero, vel ętate florẽte Variolis laborãte nõ fiet per Sãguinis missionẽ retrocessio illa. Aut si fiat, ob incredibiles illius euacuationis vtilitates de retrocessionis incõmodo nihil curandũ. Sed iã huiusmodi cõtrouersiã, tribus statutis cõclusionibus comprehendamus. Prima est: Ante eruptionẽ Variolarũ, & post illam, in Pueris, & quacunq; alia ętate, nunquã Sãguinis missio naturę motum ad exteriora impedit. Secunda: Post eruptionem Variolarum cùm redundantia adest, nõ intrò recurrit per ipsam Sãguinis missionẽ quod semel ad cutẽ protrudere cœpit natura. Tertia: Si quicquam fortè facta Sãguinis missione retrahitur, ob quamplurimas illius euacuationis vtilitates, adhuc illa est vtẽdũ.

EX quibus omnibus iam patere arbitror, quãtum à veritate discedat autor in ijs quę contra nos superiùs protulit, cùm dixit: Ante eruptionem Variolarum minimè est vtendũ Sanguinis missinone, sed scarificationibus dum-

dumtaxat. Hoc enim pronunciauit falſiſsimo illi fundamento innitens, quod erat, venę ſectionis auxilio naturę motum impediri. Quo ſanè tãtum abeſt, vt impediatur, vt eo potiùs ad illum iuuetur. Siquidem deonerata, incœptum opus potentiùs perficiet. Illud pręterea corruit, quod deinde dixit: Poſt Variolarum eruptionem, ſcarificationem quidem venę ſectioni quàm maximè pręferendam eſſe, tum quòd illa vtilior ſit, tũ quòd ſecurior. Hoc enim nõ vni tãtùm, ſed duobus falſis innititur fundamentis. Putat enim per venę ſectionem illam, & naturę motum impediri, & eius ad interna retractionem fieri quod iam ad cutẽ proiectum eſt. Vtrumq; tamen falſum eſſe iã probauimus. Sed quęrimus ab eo, cur ante eruptionem, cum vnum tantùm inueniret incõmodum, venę ſectionem omnino interdixit, poſt eruptionem verò cum duplex ſit, vt ipſe credit, non omnino illam repudiauit, ſed tantùm illi ſcarificationem antepoſuit? Si poſt eruptionem duo emergunt incõmoda, potiùs tunc erat omnino interdicenda quam ante illam? Hoc neq; Apollo intelliget. Quod ad ſecuritatem verò attinet, multò aliter doctiores decernunt,

decernunt. Neq; enim ita iudicat Lodouicus Mercatus, imò verò dicit, per latas vias subitò esse humorem educendum, antequàm natura per occultas vias, lethalibus symptomatis concitatis, sese frustrà exonerare tentet. Quare inquit: Qui solùm ijs scarificationibus vtuntur, in magnum vitę dispendium ęgrotantes perducunt. Hoc ipsum docet Argenterius in commē. 3. Artis med. Galeni, à quo hæc accepit Mercatus. Etenim qui in periculosis ex redundantia affectibus Venę sectionē effugerit, vel mortis quidem, vel periculi, vel longioris ęgritudinis causa erit. Sed adhuc hominem sic oppugno: Si ratione illius impedimenti, vel retrocessionis, Pueris Venę sectio non conuenit, supposita plenitudine, nec ętate florentibus etiam conueniet. Par enim ratio in omnibus erit. Quod prorsus ridiculum est, & contra omnes medicos. Quę quidem ratio, etsi breuissima sit, tanti est apud me põderis, vt vel ea solùm autorē nostrũ certissimè cõuinci credã. Nã qua ipse queat via ab ea se eximere, penitus ignoro. Nisi fortè quod colligimus concedere audeat, neq; id etiã absurdũ putet. Sed rursus sic oppugno: Si illa incõmo *Ratio efficax.*

da sufficerẽt, quo minùs sanguinẽ in casu prõ posito detraheremus, in lepra, scabie, anthrace, pestilẽtibusq; maculis nec detrahẽdus etiã esset. Quod sanè stultum est, & contra quàm scribunt autores omnes. Est autem anthracis, pestilentiumq; macularũ humor malignior ac perniciosior quã Papularũ ac Morbillorũ. Quare in his erat magis retrocessus ille pertimescendus. Quòd si dicas: vbi aliquis illorũ affectuum adest, ętate florentibus & nõ Pueris Sanguinis misio conueniet. Tunc quęro, aut hoc est ratione ætatis, aut ipsius retrocessionis: Ratione ętatis, falsum est, quoniã Pueris sanguinẽ parcè mitti posse, plenissimè probauimus. Ratione verò retrocessionis, minùs verum, hac enim de causa nec ętate florẽtibus cõueniret. Par enim ratio in vtrisq; profectò est. His prætereà fundamentis insidens, primum omnium nouam quæstionem se pro mouisse existimat, quòd in alijs acutis morbis quibus Venę sectio Pueris conceditur, non ea quidem concurrunt incommoda, quæ in Variolis. In his enim Sãguinis missionis auxilio tum naturæ motus impeditur, tum fit eorũ quę prodierũt extra, ad interna retrocessio.

Quare

Quare iustum erat, vt maiores nostri hanc tā tam difficultatem nō omitterent, cum in Variolis longè alia sit ratio, quàm in cęteris quibuscunq; affectibus. Pulchra quidem persuasio. Seruata sibi erat hucusq; quęstio hęc, quò ipse primus eam tangeret. Adeo vetus rancidaq; est, vt pręrugis nullus iam sit, qui suos in eam velit oculos conijcere. Sed nunc retrocessione illa atq; naturæ impedimento veluti fucata fefellit, nouaq; esse apparuit. Quęstio iam olim agitata est à medicis sapientissimis: An in curatione exanthematum Puerorum, scabiei ac morbi Galici, bubonum, & erysipelatis Phlebotomia aut purgatio conueniat? Quam legimus multis ab hinc annis in epistolis Ioannis Langij Lembergij medici doctissimi. Fuit quidem dubitatione digna quæstio hęc, quoniam huiusmodi ægritudines non semper euacuatione indigent, cùm interdum scilicet valida natura totum humorem ab internis partibus integrè ad cutem protrudit. Quę enim, dixit Hippocrates, iudicantur; & iudicata sunt integrè, neq; mouere neque nouare aliquid siue medicamentis siue aliter irritando, sed

sinere oportet. Nemo tamen dubitauit vnquam: An Pueri exanthematibus ipsis laborantes Phlebotomia aut scarificationibus curari debeant? Definitũ enim est non à medicis recẽtioribus solùm, sed & ab antiquis Gręcis, Latinis, atq; Arabibus vti nos in Pueris debere Sanguinis missione parca, cũ affectibus ij ex redũdantia sanguinis laborent, vel scarificationibus etiam in infantibus & paruulis, quorũ venę scissioni ob tenuitatem ineptę sunt, nisi fortè aliqua crisis cõtingat, qua penitus liberi à morbo euadant. Quapropter impedimẽtis illis, de medio sublatis, nullus hîc nouis quęstionibus relictus est locus.

Examinãtur autores, quos adducit opusculi autor.

SEd de illis autoribus iam agamus, quos ipse in confirmationẽ suę opinionis adducit, à Rase vt ipse vult initium sumentes. Hunc fautorem sui inuenti esse dicit, cuius verba hęc sunt: Y començando por Rasis de quien tomò Auicena la cura de las Viruelas, el dixo que esta enfermedad por la mayor parte era en mancebos y Muchachos, y assi q̃ conuenia sacar sangre por sangria o por jassa: dando claramente a entender, que el vn remedio conuiene a los vnos, y el otro a los otros.

Rasis.

Sed hic

Sed hic nec contextum Razis fideliter affert, nec eius expositio vera est. Razis litera sic habet: Quando febris acuta latensq; Pueros, quos vt plurimum infestat, iuuenesue inuadere cœperit, & vehemens dorsi ac capitis dolor ac grauitas ingruit, difficultasq; spiritus, narium, & aurium pruritus, terrores per somnum, oculorum rubedo, punctiones vniuersi corporis & pandiculationes impetunt, tunc vel Papulas, vel defedationes, quas Morbillos & Variolas iam omnes nuncupant, breuissimè superuenire certum est. Proinde si priùs quàm erumpant, incidet in aliquem ita affectum medicus, sanguinem illicò, si nihil obstet, vel per venam apertam, vel per cucurbitulam cũ scarificatione agglutinatam detrahat. Quæ quidem verba non id sonant, quod autor sua lingua scribit, nec ita adaptãtur, vt ipse proponit. Quoniam Pueri adolescẽtesq; quibus hos affectus vt plurimũ aduenire ait, non ibi vnà cum phlebotomia & scarificatione collocantur, sic vt clarè sequatur, quod perperam subinfert, hanc tantùm Pueris, illã verò adolescentibus conuenire. Imò verò primum illud, quòd Pueris & adolescentibus ad

ueniāt, initiò statim capitis dicitur, alterū verò quòd Phlebotomia & scarificatio cōueniat, lōgè iam à principio, atq; alio interposito periodo, nullaq; facta huiusmodi auxiliorū certa distributione. Quare totū illud quod ex Raze Hispanicè trāsfert, falsum est, textusq; eius omnino inuersus, atq; immutatus adducitur. Sed neq; si sic scriberetur, vera proinde esset eius interpretatio, cum inquit: Dādo claramēte a entēder, q̄ el vn remedio cōuiene a los vnos y el otro a los otros. Vnde hoc ita clarè colligi posset? Aut verba Razis sic disposita, eū necessariò intellectū inferrēt? vtcunq; adaptētur, (nec enim nos decipiet,) tātùm vult, auxilia hęc duo Pueris et adolescētibus cōuenire, sed his quidē Phlebotomiā, quòd ætate florentes sint, illis verò nō tātùm hāc, sed & scarificationē etiā. Nā ad duos annos, vel paulò post vtilis quidē scarificatio erit, inde verò ad decimū quartū vsq;, Phlebotomia. Hāc enim, vt ex antedictis cōstat, autor hic in Pueris clarissimè admittit. Quare Protesilaus iste suus nō sic apertè fauet eius opinioni. Adde his, quòd & Diuisionū lib. 1. cap. 159. nulla facta scarificationū mētione, Phlebotomiā solùm imperat

in Va-

in Variolis, cùm inquit: Et cura variolarum, cum incipiunt signa, est Phlebotomia. Nec nos expositionē huius loci, quam insinuat, ex cipimus, sed omnino reprobamus. Neq; enim est ad mētē autoris, sed ad libitum conficta.

Auicēna. AVicēna Fen. 14. post febriū tractationem, & si nō minùs Raze sciebat, Pueris adolescentibusq; huiusmodi affectum aduenire, nulla tamen facta scarificationum mentione, Phlebotomiam conuenire asserit. Oportet, inquit, in Variolis vt incipiatur, & extrahatur sanguis sufficienter, cum conditiones fuerint. Et similiter si morbillus fuerit cū repletione sanguinis. Et iterū paulò post: Et conuenientius quod in hac administratur ęgritudine, est Phlebotomia. Et mox ibi: Et quando necessaria est Phlebotomia, & nō phlebotomatur iterum completè, timetur super ipsum corruptio extremitatum. Quę omnia in ádolescentibus esse intelligenda, interpretatur autor, quia sic intelligit Razis, à quo hęc accepit Auicēna. Sed vbi Razis hoc ita intelligat, nō inuenimus. Ipse cogit ad omnia autores, prępostetis excogitatis expositionibus. Sed probat ex eo quod dixit, cū conditiones fuerint. Iacobo

enim de partibus enarratore, huiusmodi dictione Pueros ad decimũ quartũ annũ reijcit. Fallitur tamen cũ illo hac in parte ille de Partibus. Quod enim numero multitudinis dicitur, vni cũ esse nequit, imò potiùs hac voce, cõditiones illas cõprehendit, quas Fé. 14. ca. de Phlebotomia longissimè scripsit, & Gal. loco iá citato, 1. lib. ad Glauco. cap. 14. Inter quas licet puerilis etiã ętas cõnumeretur, vt quæ Sãguinis missionẽ prohibeat, nihilominus tamẽ vbi Puer plethorica dispositione laborat, & virtus cõstat, cum pauca minutione ea esse vtendũ scribit. Quare nec hic ipsi fauet.

Haliabas & Alfa-harabius IAm sequitur magnus ille suus Haliabas, & grauissimus Alsaharabius. Hos non vidimus, sed illis fauere concedamus, nihil enim refert. At Serapion, quem etiam mox affert, illi clarissimè aduersatur, quia virtute valida existente, Sanguinis missionem imperat, demissa verò, cucurbitulas, nec scarificationes addit. Quod si non aduersatur, quoniam nec Puerorũ nec adolescentiũ meminit, at tamen nihil fauet. Vt quid nescio in aceruũ hic proiectus est. Et de Arabibus hactenus, nec enim ibi alios congerit.

EX recentibus adducit inprimis præceptoré meum Christophorum à Vega, qui lib. de Arte med. 2. cap. de morbis qui infantibus eueniunt, docet, post secundum ætatis annum in infantiũ Variolis scarificationibus esse vtédum. Sed neq; hic ad cumulum quicquam facit. Agens enim de infantium morbis indicat in Variolis tempus, quo in ipsis possumus euacuatione aliqua vti. Cum enim post secundum ætatis annum dixit, perinde est, ac si diceret, cum ad secundũ ætatis annum peruenerint, scarificationibus vtitor. Nec ei sermo est de ijs Pueris, qui deinde à secundo anno ad decimũ quartum vsq; progrediuntur, de quibus controuersia est. Nam in his, existente plenitudine, non per morbos tantùm, sed per bonam etiam valetudinem, præuisionis gratia, Sanguinis missionem approbat. Quinpotiùs non multò post in ipsorum infantium Morbillis, vbi aut continens febris, aut magna sanguinis copia sit, eandem hoc ipso capite videtur admittere. *Christophorus à Vega.*

POst hos, tres sequuntur alij, Buyrus, Mart. Gatinar, & Iheronymus Montuus, qui Sãguinis missionem approbant, si tamẽ ætas cõ- *Buyr. Gatinar, & Montuus.*

ſentiat. Sed hi quidem ſi ad mentem Gale-ni loquuntur, à quo hęc ſumpta eſt indicatio, nequaquam ei fauet. Scopus enim ętatis apud illum integram Sanguinis miſsionem prohibet, ſed non parcam, quam nos aſſerimus. Ergo ſi ad vſum eius integrę conſenſum in his affectibus ętatis quærunt, benè dicunt, ſed ſi ad aliam illam moderatam hūc etiam obſeruandum ſcopum exiſtimant, à veritatis ſcopo longiſsimè abſunt. Semper enim ante oculos habemus clarum illud Galeni teſtimonium libro de Sanguinis miſsione, quod ſuperiùs attulimus, cum dixit: Quo ad ætates quidem attinet, minùs in Pueris detrahimus, quàm plenitudo commonet. Sed dices, ergo ętate conſentiente, pleniſsima illa Sanguinis miſsione vtebantur illi in his affectibus, cum ea iam non ſit in vſu? Hoc certè neſcio, ſed ſcopi vires ad placitum inuentoris ſeruandas eſſe, ſcio. Quid ambagibus opus eſt? Si quæ dicunt, rectè intelligunt, ideſt, ad mentem Galeni, qui nobis poſt Hipp. conditionē illā inuexit, atq; explicuit, noſtrę potiùs factionis coguntur eſſe quàm illius. Habet enim ętatis ſcopus apud illum

illum vim prohibendi Sanguinis missionem integram, sed minimè moderatam.

ADducit etiā Michaelē Paschaliū, cū quo olim, dum herbarū cognitionē compararē, & Anatomen addiscerē, medicinā Valētiæ factitaui. Sed is capite proprio de Exāthematis, Venę sectionē in ętate florentibus aut cucurbitulas cū scarificationibus approbat, nulla Puerorū facta mētione. Quare ille infideliter etiā trāsfert prçceptoris nostri literā, dicēs: Michael Pasqual cuya practica està bien recebida, dize en la cura de las Viruelas, sangrēse los de florida edad q̄ tuuierē fuerças, y los demas cō ventosas cō jassa. Hoc postremū additur. Nulla enim talis certè fit auxiliorū distributio, vel aliarū ętatū mentio, vt cuiuis locum ipsum legenti patere poterit.

Michael Paschalius.

IAm sequuntur alij multi, qui nec Sāguinis missionē, nec scarificationes in Variolarū curatione pręscribūt, quales sūt Fracastoreus, Sebastianus Auster, Kufnerus, Cōstātinus Affricanus, Auenzoar, & Isaac, quos legere ob ęgrorū sarcinā nō licuit. Sed huius ordinis quāplurimos alios ad cumuli molē aceruare possēt, qui nec hoc nec illud asserūt. At hi potiùs nobis fa-

Fracast. Auster. Kufner. Cōstāti. Auēzo. Isaac.

bis fauēt quàm illi, quoniā tāquā notissimū relinquunt, tam Pueris quàm ętate florentibus, si acuta hi febre, & ex sanguine laborent, Sanguinem esse mittendū. Et hoc vbi de ratione euacuandi per Sāguinis missionem edisserunt autores, ita docent. Stultum autem est, in singulis affectibus id repetere, quod iam satis suo loco, & ex professo declaratum est.

Mena. Solus iam restat tanquam fidelis rectusq; cohortium custos, Ferdinandus Męna pręceptor meus, quem suę opinionis fautorem esse dicit, quòd in Puerorum redundantijs scarificationes in cruribus commendat, & in magna illa Papularum Epidemia, quę Complutum inuasit, fælici admodum successu Pueros scarificauit. Vtrumq; fatemur scripsisse, neutrum tamen eorum nobis aduersatur. Nos enim scarificationibus plenitudinem deponi posse libenter concedimus, vt apertissimè docet Galenus eo ipso capite de Scarificatione, & ibi noster Męna: sed asserimus in adultioribus Pueris, qui scilicet tertium iam annum prętergrediuntur, ad ipsam plenitudinem deponendam vtiliorem multò esse parcam

parcam Sanguinis missionem scarificatione ipsa, maximè in affectibus valde acutis, qualis hic est, de quo contendimus. Siquidem in illis, vt supra docuit Argenterius, & cum eo Lodouicus Mercatus, subitò per latas vias humoré educere expedit, ante quàm natura per occultas, lethalibus symptomatis concitatis, sese frustrà exonerare tentet. Quoniam ergo in his citiùs euacuat Sanguinis missio, & securiùs ob prędictam causam, & iucundiùs vt sensu constat, nó tantùm euacuatione illa credimus, grandiores Pueros exanthematis laborãtes ad sepulchra mitti, vt autor proclamat, sed grauiter potiùs increpandos esse medicos puto, qui in tã acuto ac præcipiti periculo tardantes, cum vires constent, euacuationem aliam eligunt leuiorem. Nó quòd scarificatio certè noceat, sed quòd ex duobus his auxilijs, nescio cuius timore mali, quod efficatius est, magisq; pręsentaneum omittant. Nec idcirco nobis aduersatur Mæna. Is enim ad id nunquam scarificatus in adultis illis Pueris Venę sectioni pręculit, nec Compluti in illa Epidemia hos scarificauit, sed infantes & puerulos ante tertium annum. Et nos sępius ita hunc

exerce

exercere vidimus, qui cum eo multis annis medicinam factitauimus. Quin imò si aliter ipse faceret, aut doceret, sui dogmatis oblitus, palinodiam recantasse videretur. Autoris verba hęc sunt: Nos etiā in paruulis nunquam dubitauimus scarificationibus vti, bis etiam, terq; aliquando repetitis, ac nō sine maximo cōmodo. Quod sanè satis cōprobauit Cōplutensis Epidemia recēs grassata per cunctos ferè Pueros, quorū nullū exanthematis laborātem citra hoc auxilium sum medicatus fęlicissimo successu. Hęc ille. Vbi per Paruulos, nō quoscunq; Pueros intelligit, sed tenellos quidem, ad duos vsq; annos, vel paulò post, & tertium si videatur, pro ratione habitus, & temperamenti. Paruuli enim puelli sunt, qui & Grecè nominantur. Sunt autem hi non firmi & constantes iam Pueri, qui scilicet, à tertio anno ad decimum quartū vsq; suscipiunt incrementa, sed teneri illi, qui primam tantùm pueritię partem agunt, quam nobis ad tertium annum, non vt certum ac pręfinitum necessariò terminum, sed exempli gratia, statuere visum fuit. Videant lectores in quas angustias redacta iam sit certissima

Hanc seruat vocis huius significationem Hip. & Gal. aph. 24. Sect. 3.

tiſsima illa, & pluſquàm communis autoris opinio, quę duobus iã tantùm Arabibus autoribus, ijsq; ipſorum infimis innititur. Aequiùs multò, iuditio meo, vera atq; communis ea dici opinio meretur, quæ non vnum aut alterum Arabem, ſed autores habet Galenum, Cornelium Celſum, Paulum Aeginetam: & ex Arabibus primos, Razim & Auicẽnam: & ex recentibus doctiores, notiſsimos ac ſelectiſsimos, non ſcriptores ſolùm, ſed & quàm plurimos atq; innumerabiles medicos diuerſarum nationum ac regionum, qui hanc artẽ nunc exercent, & ante nos exercuerunt. Quam etiam opinionem ob pręclaros ac fæliciſsimos euentus haud fallax comprobat experimentum, atq; in eam nos ducit ipſa ratio. Sed fortè his conuictus autor, clamabit ſe nõ omnino Sanguinis miſsionem in Pueris Variolis laborantibus denegare, maximè cum ad finẽ libelli ſcripſerit: No quiero por todo lo alegado y prouado dezir, que es precepto inuiolable en Medicina, q̃ en Viruelas no ſe pueda ſangrar el Muchacho antes de 14. años &c. Sed hęc aut manifeſtè ſunt omnibus quę antea dixit cõtraria, aut rariſsimè ſãguinis miſione

ſsione iſta eſſe vtendum in illis vult. Primum quidem turpiſsimum eſt in autoribus vitiũ: alterum verò falſum, & præter cõmunem doctiſsimorũ medicorum opinionem. Id enim eſt, quod oppugnamus, contrarium ei omninò ſtatuentes, ſcilicet, in Pueris quouis acuto morbo affectis, poſt primum illud ętatis tempus, quo tenelli & paruuli dicuntur, ad plenitudines deponendum, Venę ſciſsionem ſcarificationibus pręferendã, ac proinde nõ tãtùm raró, ſed ſcopis cõcurrentibus, ea eſſe ſemper vtendum. Adde his, quòd ſcarificationes ad has plenitudines tollendum, ferè hodie non ſunt in vſu pręterquàm in tenellis iſtis Pueris.

Andreas Lacuna. Atq; etiam in his à Doctore Andrea Lacuna quàm maximè reprobantur his verbis: Por donde no puedo dexar de exclamar contra la peſtilencial coſtumbre de nueſtra Eſpaña, adonde luego que ſienté vn poquito de ardor a qualquiera niño de teta, llamã vn cruel barbero, o verdugo, el qual con vnas manazas, q̃ ſe deuen llamar no manos, ſino manoplas, y con vn nauajazo de crueles filos le hiende ſin piedad por mil partes las piernas de arriba abaxo, deshaziendoſe a poder de gritos la criaturilla

eriaturilla desuenturada entre tanto, a causa del incomportable dolor, y de aquella grãde violẽcia.

HÎc initæ iam concertationi nostrę postremam manum imponerem, nisi me multa falsò ac pręter institutũ adducta loca adhuc lacescerent. Ex quibus tria tãtùm anno tare placuit, quòd Hipp. & Gal. sint, ac pessimè intrusa, eisq; ipse quàm maximè innitatur. Nã si omnia, quę vel cõtra se omninò, vel pręter institutum autorũ ipse cõgerit, examinanda essent, non dubito quin plus iusto in magnã molem nostra cresceret enarratio. Ad ducit pro se 15. Hipp. aphorismũ secundę sectionis, qui incipit: Cum fauces ęgrotant. &c. Quorsum nescio. Nam certè is sic ei aduersatur, vt veluti suo se ipse gladio iugulare videatur. Hîc enim non vult Hipp. vt tuberculis, vel efflorescentijs per cutem apparentibus ab euacuatione semper abstineamus, quod, si faueret illi, asserere debuisset, imò verò cõtrà expurgationem imperat, cùm nimirum inspectis excrementis, corpus ęgrotare constiterit. Quid ergo? Numquid hoc sibi non est aduersum, cum ab euacuatione non abstineat in

Autorũ obiecta loca.

Primus Hip. obiectus locus.

cutis tuberculis Hipp. nec ad illã impedimentum illud, retroceſsionemq; ad interna pertimeſcat? An verò is Variolas & Morbillos ex ijs tuberculis eſſe putat, quibus ſola ſufficit nutritio? Sed neq; hoc certè dici poteſt. Tantum enim abeſt, vt benè tunc valeat corpus, vt vehemẽtiſsima febre atq; acuta potiùs ægrotet, rubeatq; vrina, cęteráq; excremẽta in ſalubria cõſpiciantur. Illum præterea adducit Aphoriſmum primę ſectionis vigeſsimũ, qui incipit: Quę iudicãtur, & iudicata ſunt integrè, neq; mouere, neq; nouare. &c. Credẽs illam ad cutẽ expulſionem, quę in Variolis fit, iuditiũ eſſe. Quod falſiſsimũ eſt. Neq; enim optimi autores ſic ipſã nominãt, ſed interdũ iudicationi ſimilẽ eſſe dicũt. Et Lodouicus Mercatus in pulticulari morbo hoc ipſum explodens, inquit: Quaſi illud fuiſſet verum iuditium, ac cutis conueniens regio, craſsis & crudis humoribus expurgandis. Et Valleſius in cõm. citati aph. 15. ſecundę ſectionis hoc etiam refellens, ait: Quaſi verò ſemper excernantur decretoriè, aut quaſi decretoriè & perfectè. Et ei ſermo eſt de Variolis ipſis. Quapropter cum magna ex parte ſymptomatica potiùs

Secundus Hipp. obiectus locus.

Cùm verò totius humoris excretio fit.

potiùs euacuatio hæc sit, quàm decretoria, ad Phlebotomiã tanquam ad sacram anchoram audacter confugere oportet, ac deinde, potissimùm in iã adultis leue aliquod catharticũ prę scribere. Aliôquin si ductus illius opinione nihil moueas, existente plenitudine, tam Pueri quàm ętate florentes cum illis perquàm acutę febris ardoribus suffocati peribunt. Verùm si aliquando humorẽ illum perfectè excreuerit natura cum sedatione febris, mitigationeq; symptomatum, ad modum cuiusdam perfectę crisis, quod raró accidit, tunc nihil mouentes, atq; innouantes, ab euacuatione per Sanguinis missionẽ, atq; per scarificationes etiam abstinebimus. Item nec ille locus Galeni, quẽ ex libro de Curandi ratione per Sanguinis missionẽ in nos adducit, quicquã concludit. Ibi enim Galenus qua ratione sanguis educi debeat in fœminis quibus mẽstrua retenta sunt, docet, monetq; ex cruribus eum esse ducendum, modò scissa malleolorum vena, vt in nigrioribus, modò scarificatis cruribus, vt in candidis. Quid ergo? Et inde sequitur quod probare vult? Quòd in candidis fœminis quibus menses retinentur, cõmodiores

Tertius Gal. obiectus locus

Cap. 11.

 sint

sint scarificationes venæ scissione in malleo-
lis, propterea & Pueris Variolis laborantibus
similiter esse debent? Menstruorum retentio
cum Variolis quã habet similitudinem? Quê
crassum in vtero sanguinê Pueri habent, qui
Variolis afficiuntur, quòd illis ob vasorũ an-
gustiam scarificare potiùs crura conueniat,
quàm malleoli venam apperire? Certè locus
hic, salua libelli pace vel autoris eius, omninò
est extra propositum. Cur & nigros non exci
pit, vt & nigriores fœminas excipit Galenus,
sed omnes simul inuoluit, ab albis fœminis,
prȩter meritum, & extra institutum, euagina
to gladio in ipsos irruens. Et putat is ad edu-
cendum sanguinê scarificationis auxiliũ prȩ-
stantius esse ex natura sua Venȩ sectione ipsa?
Fallitur quidem, semper enim Phlebotomia
ad id primum obtinet locum. Quare hîc nõ
per se, sed ex accidenti Venȩ sectioni prȩfer-
tur, quòd scilicet, hoc fœminarum genus an-
gustas venas habeat, adeò vt & si eȩ probè se-
centur, quod iustum tamen sit non profluat.
Atq; hinc est, quòd in nigrioribus alijs mul-
tò magis Venȩ sectio scarificationibus vtilior
sit. Quin imò cum iã hodie huiusmodi scarifi-
catio-

cationes non sint in vsu, solertibus phlebotomis exquisitis prędictā venam in illis etiā scindimus, nec ideo penitus à Galeno recedimus. Siquidem cùm pręstiterit scarificare, dixit, cō modiores esse scarificationes indicauit, neutiquam Venę sectionē penitus excludens. Sed & illud non omittā, quod de suo scarificationis auxilio tradit. Scribit enim eò esse scarificationes in Pueris qui Variolis laborant vtiliores, quòd & securius auxilium sit, & quòd ab internis partibus ad exteriora humores reuellat. Hîc pręterquā quòd fallitur in securitate, suppòsita plenitudine, peccat itē in intētione. Neq; enim scarificationibus vti debet reuellendi causa, sed euacuandi potiùs. Nam & scarificationū auxilium ad sanguinem euacuādum post Venę sectionē secundum habet locum. Neq; hîc est affectus aliquis locus vnde humores distrahere oporteat, cùm sit morbus ipsa febris, cōmunissimus totius corporis affectus. Quòd si scarificationibus ad reuellēdum vtendum est, totum iam illis corpus dilaniet, & ipsosmet Pueri oculos vulneret, ad quos etiam Variolarū materia mittitur. Neq; enim video, cur sit potiùs ad crura, vel brachia

Scarificationibus in paruulis euacuare intendimus, nō reuellere

 chia

chia trahendus humor, quàm ad reliquas to tius cutis partes. Sed noluimus alia quę anno tatione digna erant, ad finem perducere, quo niam mihi tantùm animus fuit, pręstantissi-mum Sanguinis missionis auxilium ab iniu-ria illorum vindicare, qui scarificationibus id pręferri volunt, Puerisq; Morbillis, seu Vario lis laborantibus apprime id vtile esse demon-strare. Tum medicos ciuitatis huius perquàm insignes non tantùm in vsu eius aberrasse, sed neq; eo aliud vtilius atq; efficatius vllum in-uenire potuisse. Neq; eò etiam sęuissimam illam Epidemiam plurimos rapuisse, quòd in eis Sanguinis missione vsi simus, sed quoniã pestilentis cõstitutionis malignitas, ita soleat, vt immanis quędam bellua, populos confice re. Et nos quàm plurimos liberauimus par-cis illis, atq; iteratis Sanguinis missionibus. Quin et filiolam nostram trium annorum e-pilepticis concussionibus, atq; ardentissimà febre deploratam accõmodatissimo Sangui-nis missionis auxilio persanauimus.

Quare nos sic statuimus: In Puerorum Vario lis ac Morbillis, multisq; alijs affectibus, indi tio sanguinis apparente, primo & secundo an no sca

no scarificationes quidem accõmodatissimę sunt. Tertius his, et Venæ sectioni aptus esse potest. Post illam verò ætatem, scarificationibus posthabitis, Phlebotomia quidem parca esse vtendum iudico ob prædictas causas. Sed si illius opusculi autor notus aliquis aut amicus est, ignoscat mihi precor. Nam qui etiam in amicos pro veritate, & commodo Reipublicę pugnat, dignus est venia.

FINIS.

Autoris carmen ad libellum.

Quò fortuna velit, sine me potes ire libelle,
atq; hominum vultus, oraq; quęso fuge.
Obuius ast fuerit tibi si contrarius vllus,
deq; tui domini fine rogare velit:
Velle suo exemplo, me dic inquirere verum,
nec vanę ventum quærere gloriolę.
Quòd si forsan erit notus, vel carus amicus,
publica dic nostris anteferenda bonis.

HISPALI.
Excudebat Ferdinandus Diaz.
Anno 1583.